Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26143
Copyright: Admont, Benediktinerstift

tione naturę. per modum autem et extremitatem pene. Ecce sic maledi
cet homo qui ignorantiam dei habere inventus fuerit. Vide dicam an sit. Utrumque
sine dubio. utraque ignorantia dampnabilis est. ut libet sufficit ad per
ditionem. Vis scire quia ita est? Sed de deo minime dubitas. si tamen constat
non aliam vitam esse eternam. quam ut patrem cognoscas deum verum. et quem misit
Iesum Christum. Audi quid sponsum liquido et aperte in animam et iam animę igno
rantiam comminantem. Quid enim dicit? Nisi utique si deum. sed si ignoras te
inquit et cetera. Patet quod quisquis ignorans ignorabitur. sive se sive deum ig
norare contingat. De qua utique ignorantia erit nobis si tamen deus ma
num apponat utilis admodum disputatio. Non modo tamen ne fatigati
et non premissa ex more oratione. aut ego minus diligenter rem neces
sariam prosequar. aut vos minus attente que non nisi magno suscipienda
sunt desiderio audiatis. Etenim si corporis cibus cum absque appetitu et saciati
illum sumimus. non modo non prodest sed et nocet plurimum. multo magis spi
ritualis animę cum fastidio sumptus. non scientię nutrimentum. sed magis conscientię
tormentum importabit. Quod a nobis avertat sponsus ecclesię Iesus Christus dominus
noster qui est benedictus in secula. amen.

xxxvi

Exsolvo meę promissioni. en ego desideriis vestris. en ego et iam deo
pro debito famulatu. Ut videtis triplici ratione urgeor ad lo
quendum. pacti veritate. fraterna caritate. timore domini. Si tacuero
os meum condempnabit me. Quid si loquar? Profecto vereor idem iudicium
ne loquentem videlicet et non facientem. identidem os meum condempnet me.
Iuvate me orationibus vestris. ut semper possim et loqui quod oportet.
et opere implere quod loquor. Non ignoratis hodiernum nobis proposi
tum esse sermonem de ignorantia vel potius de ignorantiis. quoniam duę
si meministis proposite sunt. nostri una. dei altera. Quas et monuimus am
bas esse cavendas. eo quod ambę dampnabiles sint. Superest ut clarius
hoc ipsum faciam. edisseram plenius. Sed prius querendum existimo.
sitne ignorantia omnis dampnabilis. Et mihi quidem videtur non esse.
Neque enim omnis ignorantia dampnat. sed multa et innumera esse que
nescire liceat absque diminutione salutis. Verbi gratia. Si igno
ras fabrilem artem seu carpentariam. aut cementariam et quecumque istius
modi artes que ad usus vitę presentis ab hominibus exercentur.
numquid impedit ad salutem? Etiam absque omnibus illis artibus que